RELIGIONIS
PLAUSIBILI OLYMPO,
CUJUS MAGNITUDINEM
UTERQUE SOL ADORAT, DE QUO
MERITO ILLUD VIRGILII CANORUM:

Æmathio celsum duplicabat vertice Olympum.

HISPANO PHOENICI,
QUEM OMNIGENÆ SCIENTIÆ
SPOLIIS PRETIOSA LAUS EXORNAT,
EX CUJUS VARIA CONGERIE
FORMOSA PALLADIS

Ergo Iris *croceis per cœlum roscida pennis*
CELEBRANDA CONSURGIT.

ILLVSTRISSIMO COETVI,
CUJUS ENCOMIUM CITHARA
APOLLINIS MILLIES DIGNUM;
CUJUS MEMORANDA VIRTUS,
SEPULCHRI EXPERS IPSA SUPER ASTRA
REGNATVRA CONSCENDIT, ET GLORIOSA CORONA
TRIVMPHAT; NAM VT SENECA:

Nunquam stygias fertur ad umbras inclyta virtus.

ECCLESIÆ ARCI EMINENTI,
CUJUS ROBUR FIRMISSIMA TURRIS,
CUJUS SPENDOR, LILIA, QUIBUS CORONATVR, DEMONSTRANT, IN QVA SVMMVS AMOR RECTI,
SVMMA, INCONCVSAQVE VIRTVS ÆQVALI STATERA
MVTVIS CERTANT IMPERIIS, NVLLA
ALTERA GRAVIOR.

TER ILLUSTRI, TER CELEBRI, AC TER INCLYTO

DD. DECANO, ET CAPITVLO

ALMÆ HISPALENSIS METROPOLITANÆ, ET PATRIARCHALIS ECCLESIÆ:

UNDE TOT ILL.MI PRINCIPES, CLARISSIMI PRÆSULES, VENERABILES HEROES, LAUREATI DOCTORES, GENEROSI PROCERES, UT IN ILLORUM ENARRATIONE ARITHMETICA INSUDAT.

TANTO ERGO ILL.MO PRINCIPI

BÆTICA PROVINCIA

PP. CLERIC. REG. MINOR.

PRO COMITIIS PROVINCIALIBUS IN PERPETUUM, VENERABUMDUMQUE MONUMENTUM HÆC THEOLOGICA ASSERTA EX D. TH. AQUINATIS, DOCT. ANGELICI TUTISSIMA DOCTRINA D. O. ET S.

PRI-

PER unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors. Apost. ad Roman. 5. Hinc contra Pelagianos cum D. Th. 1. 2. quæst. 81. deducitur, peccatum primi hominis originaliter in posteros transire; *non quidèm, quia illis non peccantibus nocuerit* (D. August. de pecc. remis. cap. 7. *sed quia in Adamo omnes peccaverunt, quando ille peccavit*; ut dicit Anselm. lib. 5. de Concept. Virg. cap. 7. Illud tamen non contrahere hominem divinâ formatum virtute, cum D. Thom. ibid. art. 4. sentimus, sicut nec in posteros transire Evâ solummodò peccante. D. Thom. ibid. art. 5. Num verò hoc naturæ, sive originale peccatum habeat veram, & propriam rationem peccati? Quæritur à Theologis; negantibus paucis, cæterisque unanimiter cum Trident. sess. 5. de peccat. origin. can. 5. asserentibus: *Peccatum originale veram, & propriam rationem peccati habere.*

SE-

SECUNDUM ASSERTUM.

INITIUM *omnis peccati superbia.* Eccl. Quo ex textu infert D. Thom. 2. 2. quæst. 163. art. 1. *Quòd prima inordinatio appetitûs humani fuit ex hoc, quod appetiit quoddam spirituale bonum supra suam mensuram, quod pertinet ad superbiam; Adam enim, & Eva* (inquit D. August. super Ps.) *rapere voluerunt divinitatem, & perdiderunt fœlicitatem.* Dubitatur tamen, an primum primi Parentis peccatum fuerit causa transfusionis culpæ originalis, quia tale, vel quia fuit primum? Sunt non pauci, qui tueantur causam dictæ transfusionis fuisse peccatum superbiæ, quia tale, & non quia primum. Nos verò D. Thom. duce, cum ipso 2. sent. dist. 33. dicimus: *Quòd quia primum peccatum naturam humanam vitiavit: ac in vi illius, quia primi necessitatem moriendi Adamum incurrisse.*

TER-

TERTIUM ASSERTUM.

ITE maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Matth. 25. Ex quo constat, parvulos ex hac vita sine Baptismo migrantes plectendos esse pœnâ damni, in carentia visionis Divinæ consistente. Unde hæreticum judicamus: *Prædictos parvulos à Regno Cœlorum, & non à vita æterna excludere*, ut Pelagianis placuit: ipsos D. August. convincit Serm. 14. de verb. Apost. authoritate Matth. suprà relata. Magna tamen est inter Theologos disceptatio, an, scilicèt, parvuli non baptizati utrâque puniantur pœnâ, damni (videlicèt) & sensus? Angelicus noster Præceptor in 3. dist. 22. quæst. 2. art. 1. ad 1. quæstiunc. tenet: *Quòd suprà infernum damnatorum alius est, in quo sunt tenebræ, & propter carentiam divinæ visionis, & propter carentiam gratiæ; sed non est ibi pœna sensibilis, & dicitur Limbus puerorum.* Cum quo firmiter asserimus, parvulos cum solo originali decedentes nullam subire pœnam gehennæ, & combustionis æternæ.

QUAR-

QUARTUM. ASSERTUM.

ECCE *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ajebat de se Reg. Ps. Quæ verba à PP. communiter cum D. Thom. 4. contra gen. cap. 50. intelliguntur de protoparentis originali labe. Quamvis enim in numero plurali Propn. loquatur, *juxta morem Sacræ Scripturæ, quo frequenter ponitur pluralis numerus pro singulari* (ut 1. 2. q. 28. ar. 2. notat D. Th.) in dubium est, originale Adami de ictum unum tantummodò esse, juxta illud Apost. ad Rom. 5. *Unius delicto in omnes homines in condemnationem.* Sed an non solùm istud originetur in posteros delictum, sed etiam proximorum parentum peccata sint nobis per generationem transfusa? Celebris est difficultas à Mag. P. Aug. in soluta relicta, & à D. Th. 1. 2. q 81. ar. 2. exagitata. In quo tam difficili puncto Ang. Doct. & D. Ansel. de Concept. Virg. c. 23. negativæ adhæremus parti; dum tamen de peccatis proximorum parentum sit generalis sermo: *Peccata enim, quæ purè personalia sunt (sicut & quilibet alii personales actus) non traducuntur à parentibus in filios*: ut loc. proximè cit. tradit Ang. Mag. Gravissima ergo inter Theologos exorta est controversia: *Num, scilicet, peccatū crucifigentiū Christ. Dom. sit naturæ, & transiens in posteros?* Et licèt pars negativa probabilitate gaudeat, tamen affirmativam partem propugnare (*resp.*) decernimus.

Q. P. Vesp. IV. Assertum.

Minervalis parabitur Palæstra die 14. Sept. Vesperæ luce in hac nostra Spiritui Sancto PP. CC. Reg. Min. Sacra Domo, ubi defensurus adstabit P. JOSEPH BASCO, *sub auspiciis* P. JOANNIS DE BALDIVIA, *Lect. Jubilati, Laurea Doct. in Universitate Granatensi insigniti, & in eadem Civitate Examinatoris Synodalis, ac tandem in Domo relata Civitatis Præpositi.*

GLO

GLORIOSO
INTER COELESTES COPIAS
SVBLIMIORI
PRINCIPI,

QUI

NIGRICANTES DIABOLICAS TENEBRAS
FULMINIBUS SUÆ VIRTUTIS
PELLIT, ET REPELLIT:

CUJUS

ARDENTISSIMO ZELO TARTAREÆ
POTESTATES IN DEI MAJESTATEM
PRÆLIANTES FVERVNT DE COELIS
VELOCITER DETVRBATÆ:

CUI

ECCLESIA HONORES, GLORIA LAUDES,
ANGELI VENERATIONES, INFERNUS SUBJE-
CTIONEM, NATVRA BENEFICIA, HOMINES DONA,
TRIBVIT, DICIT, DONANT, OFFERT,
DEBET, REDDVNT.

QUEM

ARCHISTRATEGEM COELESTIS
VENERATUR MILITIA, SACRUM DUCEM
AGNOSCVNT CHISTIADI, DOMINI DEI EXERCITVVM
PROREGEM, TVRBATÆ STELLÆ QUONDAM
RADIANTES TREMVNT:

QUO

DUCE VEXILLIFERO, CORYPHÆO,
PATRONO ARCHISTRATEGO, PRINCIPE,
MAGISTRO, MILITES CHRISTI PALMAS, LAVROS,
TROPHÆOS, TRIVMPHOS, VICTORIAS, DOCTRINAM,
NANCISCVNTVR OBTINENT MERENTVR REPORTANT,
CELEBRANT, CANTANT, DISCVNT.

MA.

MAXIMO ERGO INTER MAXIMOS
COELESTIS CURIÆ
PRINCIPI,
INTER ASTRA MINORA
PERFULGIDO LUMINARI
SS.MO ARCHANGELO

MICHAELI,

VNIVERSÆ CLERIC. REGUL.
MINORUM RELIGIONIS
PROTECTORI, TUTELARI,
PATRONO;
HUIC ERGO SS.MO MECOENATI
PROVINCIALE CAPITULUM
PRO BÆTICA PROVINCIA
CELEBRANDUM,
IN SIGNUM AMORIS, DILECTIONIS
VINCULUM, DEVOTIONISQUAM MAXIMÆ TESTIMONIUM,
GRATITUDINISQUE INDELEBILE MONUMENTUM D. O. C.
Q. PATROCINIUM QUÆRITANS, TUTAMEN OPTANS,
PROTECTIONEM AMBIENS, AUXILIUM SPERANS, FAVOREM SOLICITANS, VICTORIAM SPECTANS,
VOTA EX PRÆCORDIIS
OFFERENS.

PRI-

(✠) PRIMUM ASSERTUM. *(✠)*

LEX per Moysem data est; gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. Et rursus: *De plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Inquit Joan. 1. Ut doceat dona supernaturalia, virtutes scilicèt infusas, dona Spiritus Sancti, & alia auxilia, quibus homo adjuvatur à Deo ad meritum, & consequutionem vitæ æternæ. Ast cùm inter dona recensita primatum habeat gratia habitualis, sic appellata à Theolog. ob illius permanentiam, & dignitatis excellentiam, cujus proprium est reddere hominem justum, Deoque gratum, & amicabiliter dilectum, dignumque vitâ æternâ: de gratia sic accepta nostra statuitur dissertatio, quatenùs videlicèt reddit hominem sanctum, Deoque gratum, &c. De ipsa ergo sic intellecta, dicitur Lucæ 1. *Invenisti gratiam apud Deum.* Et ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ, & gratiæ suæ.* Et ad Hebr. 12. *Habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo.* Et rursus ad Eph. 1. *Gratificavit nos in dilecto filio suo*; & alibi.

(✠) SECUNDUM ASSERTUM. *(✠)*

AD eum veniemus; & mansionem apud eum faciemus. Inquit Joann. 14. Et quibus constat, gratiam, quâ justificamur, esse formam intrinsecam de linea accidentis, de linea qualitatis, & habitus. De linea accidentis, nam forma intrinsecè adveniens subjecto constituto in suo esse substantiali, tam quoad essentiam, quàm quoad personam, est forma accidentalis contra Priscillianistarum delirium asserentium: *Animam per suam substantiam esse justam, & gratam Deo.* De linea qualitatis constat ex D. Thom. in 2. dist. 26. quæst. unic. art. 4. ad 1. ubi sic habet; ad 1. ergo dicendum: *Quòd gratia ad genus qualitatis reducitur.* Et si D. Thomas aliquibus in locis negaverit, gratiam habitualem habere propriam rationem habitus, de habitu operativo intelligendum est, & in ordine ad rectam, vel pravam operationem; habetur enim quæst. 27. de veritate, art. 2. ad 7. ubi postquam dixit: *Gratiam non esse propriè habitum, eo quod ordinatur immediatè ad quoddam esse divinum*, subdit: *Nihil tamen invenitur simile gratiæ in accidentibus animæ, quæ Philosophi sciverunt: quia Philosophi non cognoverunt nisi illa animæ accidentia, quæ ordinantur ad actus naturæ humanæ proportionatos.* Hæc certò suadent, gratiam rationem habitus non induere, secundùm acceptionem illius, in sensu Aristotelico; benè verò secundùm quod nobis innotescit per fidem.

TER-

(※) TERTIUM ASSERTUM. *(※)*

E*RATIS aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate.* Inquit Paul. ad Ephes. 5. Ubi per lucem gratiam, per tenebras peccatum docet D. Thom. quæst. 90. art. 30. Et cùm peccatum in subjecto, in quo est, habeat pro effectu necessario, & infallibili tenebras animæ, & hæc associari nequeat cum luce divinæ gratiæ, ut sic cum Apostolo 2. ad Corinth. 6. dicamus: Quæ societas lucis ad tenebras, Christi ad Belial. Hinc supposita in præsenti, habetur incomponibilitas gratiæ cum peccato. Peccatum autem lethale duplicem includit rationem: vel theologicè, & secundùm id, quod dicit formaliter in ratione offensæ, & c. vel secundùm id, quod dicit quasi de materiali, quod spectat ad considerationem physicam, scilicet, ratio actus, cui substernitur malitia illius; licèt enim sub hac consideratione non adstruatur hæc oppositio; benè tamen statuitur sub prima consideratione, quæ propriè spectat ad Theologos.

(✠) QUARTUM ASSERTUM. *(✠)*

JUSTIFICATIONEM *non esse solam peccatorum remissionem, sed interiorem hominis renovationem*, Sess. 6. cap. 7. Synodus Tridentina docet. In qua sententia habetur peccati remissio non præsupposita, aut purè concomitans justificationem, sed in illa actu formaliter inclusa, saltem ut effectus secundarius illius. Est autem de fide, asserit Bellarm. lib. 2. de justificat. cap. 2. *Justificationem fieri per formam inhærentem, non solùm quantùm ad interiorem renovationem, sed etiam quantùm ad peccatorum remissionem.* Statuitur igitur quæstio de remissione peccati mortalis personalis triplici conclusione ab Authoribus communiter definita. Agimus ergo de remissione peccati, quæ est verè, & rigorosè talis, per quam nedum peccatum detegitur, ut dicebant hæretici, contra quos Concilium Tridentinum, verùm & per quam peccatum totaliter abraditur, & expellitur; de hac ergo asserimus: *De potentia Dei absoluta non posse peccatum habituale personale remitti per solam condonationem extrinsecam.*

Q. P. R. IV. Assertum.

Minervalis parabitur Palæstra die 15. *Sept. Vesperea luce in hac spiritui Sancto PP. Clericor. Regular. Min. domo sacra, ubi defensurus adstabit* P. SALVATOR DE ESPINOSA, *sub auspiciis* P. BARNABÆ GONZALEZ, *Lectoris Jubilati. Anno Dñi.* 1741.

VI-

VIRO EXTATICO,
ASSIDUO DIVINÆ LUCIS
CONTEMPLATORI,
CUJUS COR AD INSTAR ELIOTROPION SOLEM JUSTITIÆ INVARIABILI SECTABATUR OBTUTU, UNDE PERENNIS CIRCULARIS ORATIO EXUNDAVIT, EFFLORUIT.

PRÆSTANTISSIMO,
SOLERTIQUE ARTIFICI,
QUI SIC EX ÆQUO ACTUOSÆ, CONTEMPLATIVÆQUE VITÆ IN UNUM CONTRAXIT OPUS, UT IN UTRAQUE PERVIGIL OMNIUM OCULIS APPARERET, INDIVIDUUMQUE OFFICIUM SORORUM MARTHÆ, ET MARIÆ MIRUM IN MODUM INVENIRET;
ET QUI SIC PROPRIUM SIBI NOMEN JACOB VENDICAVIT, SUPPLANTATORIS NEMPE, LUCTATORIS VE, AC SUBINDE ISRAEL EX DEIFICA VISIONE, UT CHERUBIN EZECHIELIS MIRACULUM USURPAVIT, HABENTES ENIM VOLATUI PENNAS, MANIBUS; ET PEDIBUS NON DESTITUEBANTUR AD LABOREM.

ZELATORI
DOMUS DOMINI ARDENTISSIMO,
PRÆDICATORI
AMORIS DEI FERVENTISSIMO,
IN CUJUS CORDE, VELUT IN ODORIFERO THURIBULO, SIC DIVINI AMORIS FLAMMA ÆSTUABAT, UT NUNQUAM ALIUS IN EJUS ORE SERMO, QUAM DE HOC DIVINO AMORE PERSONARET. CUI SIMUL AC N. CONFUNDATORI VEN. P. AUGUSTINO ADORNO, ABUNDE ILLE IGNIS ACCEDENTIUM IN EMAUS IMPERTITUS EST: *NONNE COR NOSTRUM ARDENS ERAT IN NOBIS?* UT HIC IN FACIEM ERUMPERET ALIQUOTIES.

CLA-

CLARISSIMO IGITUR HEROI,
NON MINUS GENERE,
QUAM SANCTITATE CONSPICUO,
NEAPOLITANÆ NOBILITATIS
CARACCIOLÆ FLORI,
ANGELI AQUINATIS SANGUINE
RUBESCENTI,

VEN. P. N. FVNDATORI

FRANCISCO
CARACCIOLO,

CUJUS JAM JAM CAUSA
BEATIFICATIONIS,
ET CANONIZATIONIS
PROPOSITA NVPER IN CONGREGATIONE GENERALI CORAM SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV. SVB DIE VIGESIMA PRIMA MARTII PROXIME PRÆTERITI FOELICEM, ET IN FAVOREM MERVIT SENTENTIAM, EAMQVE SIC APPROBATAM SS. D. N. PAPA, NVMINE PRIVS ACCEPTO, DECLARAVIT, AC DECREVIT, ITA PROBATAS IN GRADV HEROICO VIRTVTES V. SERVI DEI, TAM THEOLOGALES, QVAM CARDINALES, EARVMQVE ANNEXAS, VT TVTÒ JAM AD VLTERIORA PRO EJVSDEM V. SERVI DEI CAVSA DEVENIATVR.

HUIC ERGO INTEGERRIMO DUCTORI
HÆC THOMISTICA THEOREMATA THEOLOGICA
PP. CLERIC. REG. MINOR.
BÆTICA CONGREGATA FAMILIA
PRO COMITIIS PROVINCIALIBUS, CORDE,
ET ANIMO MINIMVM SACRAT
MVNVSCVLVM.

PRI-

PRIMVM THEOREMA.

EST autem gratia, quemadmodum Trident. Synod. ab omnibus credendum sub pæna anathematis decrevit, Divina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas delet, &c. Ita Cath. Rom. jussu Pii V. edit. tract. de Sacramento Bapt. Ex quibus verbis certissimè constat, turpiter errasse hæreticos nostri temporis asserentes, gratiam dumtaxat esse extrinsecum Dei favorem, & benevolentiam extrinsecam Dei, per quam anima redditur Deo grata, & ab eo extrinsecè dilecta. Conveniunt tamen omnes Theologi cum D. Thom. hic artic. 3. ex illo 2. Petri 1. *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ.* Gratiam esse participationem naturæ Divinæ. Sed quia natura Divina participari potest secundùm physica, quæ habet nempè Deum constituere, & radicare virtualiter actus vitales in ipsum sicuti est tendentes: Et etiam participari secundùm conceptum moralis rectitudinis, quâ ratione sanctitas est, Deumque totum denominat sanctum: Exorta est inter Theologos lis: An gratia habitualis sit formalis participatio naturæ Divinæ sub conceptu naturæ? Nos Doct. Angel. sequentes in præsenti art. 3. & 4. partem affirmativam tenemus.

SE-

SECVNDVM THEOREMA.

NOMINA, quæ perfectiones exprimunt cum supereminentiori modo, quo conveniunt, de solo Deo dicuntur, sicut summum bonum, primum ens, & alia hujusmodi. Sic Doct. Angel. 1. contra gentes cap. 30. & 1. dist. 43. quæst. 1. art. 2. Hinc omnia prædicata Divina habent aliquem peculiarem modum à creaturis, sive factis, sive factibilibus imparticipabilem. In linea entis est ens à se, subsistens in ipsa plenitudine essendi, actus purus omnis potentialitatis expers, tam physicè, quàm metaphysicè: infinitus, omni limitatione carens: in linea durationis æternus: in linea operativa omnipotens: in linea locativa immensus: in linea boni summum bonum: in linea veri ipsa veritas: in linea intellectiva suus intellectus, intellectio, species impressa, & expressa, suum objectum, & alia hujusmodi, quæ à nulla creatura creata, & creabili participari possunt participatione, inquam, convenientiæ formalis in his prædicatis.

TER

EXCESSUS inter perfectiones creatas desumendus est penès majorem accessum, & conjunctionem cum Deo, penès imitationem majoris perfectionis. Ita Doct. Ang. 1. part. quæst. 2. art. 3. Ex quibus verbis colligitur, gratiam habitualem excedere simpliciter in perfectione quamlibet formam substantialem. Difficultas esse potest, num dicat talem excessum respectu visionis beatæ? Ad quod sequentes Sanctum Anselm. in Monolog. affirmativè respondemus. Respectu tamen unionis hypostaticæ gratiam esse simpliciter imperfectiorem propugnamus; quia prædictus modus (ut supponimus) conjungit substantialiter, & in unitate personæ. Gratia verò accidentaliter dumtaxàt. Disputant tamen Theologi, an possibilis sit gratia habitualis specie distinctâ, & præstantior gratiâ habituali, quæ modò datur? Huic difficultati occasionem præbuit D. Thom. in præsenti quæst. 112. art. 4. in quo inquirit: *An gratia sit major in uno, quàm in alio?* Sed quia D. Thom. clarè loquitur de majoritate intensiva, ut patet ex illis verbis à S. Doct. relatis: *sed ex parte subjecti potest gratia suscipere magis, vel minùs;* parti negativæ adhæremus.

QVARTVM THEOREMA.

CREARI est quoddam fieri, ut dictum est; fieri autem ordinatur ad esse rei; unde illis propriè convenit fieri, & creari; quibus convenit esse: quod quidem convenit propriè subsistentibus. Ita D. Thom 1. part. quæst. 43. art. 4. Hinc cùm gratia sit accidens, cui non competit propriè esse, & subsistere, non competit propriè creari; igitur educta est de potentia obedientiali animæ rationalis: An dentur in nobis virtutes infusæ, quæ sint perfectiones habituales? Non dubitatur à Theologis. Et meritò, nam veritas est definita à Concilio Trident. sess. 6. cap. 7. ubi inquit: *Hæc omnia accipit homo infusa à Deo, scilicet, fidem, spem, & charitatem.* Istas verò physicè dimanare à gratia, est clara mens D. Thom. pluribus in locis, & præcipuè hic quæst. 110. art. 4. & 3. part. quæst. 62. art. 2. Lis tandem gravis est inter Theologos: Num gratia habitualis distinguatur realiter entitativè à charitate? Nos doctrinam D. Thom. perpetuò sequentes 1. 2. quæst. 110. art. 3. & 3. cont. gent. cap. 150. & alibi sæpè (*vesperè*) affirmativè respondemus.

Q P. R. IV. Theorema.

Litteraria Palæstra erit in Spiritûs Sancti PP. Clericor. Reg. Minor. ædibus à P. JOSEPHO DE XEREZ, *sub tutamine* P. JOANNIS DE BORDAS, *ibidem Sacræ Theologiæ Lectoris. Die* 16. *mensis Septembris. Anno Dñi.* 1741.

HI-

HISPALI:

Apud Emmanuelem de la Puerta, celebris Universitatis, Regiæque Societatis Typographum Latinum, atque Litteralium Charactèrum Fusorem, in vico de las Siete Revueltas.

